



Universitätsbibliothek Paderborn

**Defensor Redivivus Seu De Sacrae Consistorialis Aulae
Advocatorvm Origine, ac Munere**

**De Rossi, Giuseppe Ortensio
De Rossi, Giacomo Gregorio**

Romae, 1657

23 Renunciatio Cardinalatus fit in manibus Summi Pontificis in Consistorio secreto per vnum ex septem Senioribus Aduocatis Consistorialibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10678

TERTIVM. 117

lis Ecclesia, & inferius, Admo-
dum R. P. N. nuper ad eandem
Ecclesiam electi, & per S. V.
confirmati ; quod semper po-
stea obseruatum fuit in Electo-
ribus Imperii .

Septimò * Quòd etiam Præ- 21
lati retinentes Aduocationem
per se ipsos pallia postulant, nisi
ex gratia Collegii aliter eisdem
fuerit individualiter concessum.

Octauò * Quòd pallia pro 22
Cardinalibus præsentibus in
Curia electis Archiepiscopis ,
non postulantur per Aduocatos,
sed per ipsosmet Cardinales ; se-
cùs verò in eorum absentia .

Itidem * renunciatio Cardi- 23
nalatus , quam Franc. in cap. 1.
num. 3. vers. 6 per rationem , de

H 3 re-

118 CAPVT

renunciat. notat fieri in manibus Papæ illam recipientis, explicanda est in Consistorio secreto, vbi Cardinalium Creatio fieri solet, teste Parisio *de resignat.* lib. 8. quæst. 4. num. 1. dicente ita obseruatum fuisse tempore Alexandri VI. in renunciatione Cardinalatus facta per Cæsarem Borgiam, & num. 3. in peracta à Ferdinando Cardinali Medices Magno Duce Etruriæ tempore Sixti V. anno 1588. cum quo transit Iacobus Cohellius *de Notitia Cardinalatus* cap. 15. priuilegio 2. pag. 163. vers. tandem, quod etiam vidimus obseruatum Ferrariæ tempore Clementis VIII. anno 1598. in renunciatione, quam ibi

TERTIVM. 119

ibi fecit Cardinalis Albertus
Archidux Austriæ, Romæ ve-
rò à Ferdinando Cardinali Gon-
zaga Duce Mantuæ 16. No-
uembris 1615. sedente Paulo V.
deindè à Mauritio Cardinali Sa-
baudia sub Urbano VIII. & no-
uissimè à Camillo Cardinali
Pamphilio sub initio Pontifica-
tus Innocentii X.

Quæ * renunciatio fit me- 24
diante vno ex septem Seniori-
bus , eamquè pro Ferdinando
Medices egit D. Cæsar Mar-
silius Bononiensis Aduocatus
Consistorialis teste Parifio *dicto*
lib. 8. quæst. 4. sub num. 3. pro
Archiduce Austriæ D. Bernar-
dinus Scottus Mediolanensis,
mox Rotæ Auditor , ut legitur

H 4 in